

do, uti habetur ex *cap. 1. de Consuet. in 6.* Hoc tamen non procedit in legibus, quæ sancuntur ab Episcopis; præsumitur enim Episcopi omnium consuetudinum contrariarum habere notitiam (2). Item advertendum consuetudinem immemorabilem non putari revocatam, nisi fuerit nominatim revocata a lege, prout pluries declaravit S. C. (3).

TRACTATUS III.

DE ACTIBUS HUMANIS, ET PECCATIS

CAPUT I.

DE ACTIBUS HUMANIS.

1. et 2. *Actus hominis, et actus humani.*
3. *De voluntario, et ejus conditionibus.*
4. *ad 6. Quotuplex est voluntarium.*
7. *ad II. De libero et ejus speciebus.*
12. *Impedimenta actus humani.*
13. *I. De ignorantia.*
14. *II. De violentia.*
15. *III. De concupiscentia.*
16. 17. et 18. *IV. De timore, et quotuplex sit.*
19. *Unde desument bonitatem et malitiam actus humani.*
20. *An actus externus addat malitiam actui interno.*
21. *An dentur actus indifferentes.*

1. Actum est in prioribus tractatibus de duabus regulis actuum humanorum, de conscientia nempe, et de lege: nunc de ipsismet actibus humanis agemus, prius in genere, deinde in specie, de peccatis nimirum.

2. S. Thomas (1) docet, quod actus qui ab homine procedunt, bifariam considerari possunt; in genere naturæ, et in genere morum. Primo modo considerati *actus hominis* appellantur, hujusmodi sunt omnes actus quocumque modo fiunt ab hominibus. Secundo modo dicuntur *actus humani*, et sunt illi qui procedunt ex libera humanæ voluntatis electione. Hinc omnes actus qui præveniunt rationis usum, sunt actus hominis, sed non humani. Duo requiruntur ad constituendum actum humanum, ut capax sit boni, aut mali meriti, ut nempe sit voluntarius, et liber.

(1) 4. 2. q. 1. a. 4.

3. Et prius agendo de voluntario, dicimus quod sit *illud, quod procedit a principio intrinseco* (nempe non a vi extrinseca) *cum cognitione finis*, ex cujus deficientia homicidium non esset voluntarium illi, qui putans esse feram hominem occidit.

4. Multiplex est voluntarium: 1. Formale, virtuale, habituale et interpretativum. 2. Elicitum et imperatum. 3. Directum et indirectum. Et 1. *Formale* est illud quod exercite elicitur aut imperatur a voluntate. *Virtuale* est quod procedit, et in effectum prodit ex voluntate præhabita. *Habituale* est actus voluntatis semel habitus, et numquam retractatus. *Interpretativum* dicitur actus ille, qui fit sine advertentia, sed etiam fieret a voluntate, si agens in talibus circumstantiis positus sibi delibendum esset.

5. Item 2. Voluntarium *elicatum* est omnis actus voluntatis proxime a voluntate productus, ut amare, vel odio habere, eligere aut refellere aliquid, cupere, etc. *Imperatum* est omnis actus, qui ex voluntatis imperio exercetur ab aliis potentiis sive externis, sive internis, ut meditari, ambulare, videre, etc. Hic advertendum cum s. Thomas (4) quod quilibet actus sive elicitus, sive imperatus a voluntate specificatur a fine propter quem exercetur; quare illi actus qui eundem finem habent quamvis materialiter sint diversi, tamen eandem induunt speciem, v. g. si quis jejunit, orat, concionatur ob Dei gloriam.

(2) N. 409. v. Sed quæritur 4. — (3) ibid. Quæst. 2. — (4) 4. 2. q. 1. a. 3

omnes isti sunt actus charitatis. Contra si unus idemque sit materialis actus, si a voluntate elicitur ob diversos fines, ipse diversas induit species.

6. Item 3. Voluntarium directum est quod est volitum, et intentum ex se ipso: *Indirectum* est volitum in causa voluntarie posita, jam præviso effectu, licet non intento. Ut igitur voluntarium indirectum imputetur ad culpam, primo requiritur, ut prævideatur effectus: secundo, ut agens teneatur impedire talem effectum; nam cum non tenetur impedire illum et non intenditur, non peccat causam honestam apponendo, licet prævideat effectum de se illicitum ut, pluribus casibus progressu Operis explicabitur.

7. Præterea (ut dictum est) actus humanus, ut sit capax boni, aut mali meriti, necesse habet, ut sit liber. De fide est, contra Calvinum, adesse in homine etiam post Adæ peccatum, liberum arbitrium, ut definitum est a Tridentino *sess. 6. can. 5.* Hic distinguendæ sunt plures species libertatis: 1. libertas a *coactione* et a *necessitate*. 2. Libertas *contradictionis* et *contrarietatis*.

8. Et primo alia est libertas a *coactione*, quæ dicitur *spontaneitatis*, alia est a *necessitate*, quæ dicitur *indifferentiæ*. Prima importat, ut actus sit spontaneus, id est violentiæ expers, quamvis sit necessarius, ut est amor Beatorum, qui necessario amant Deum, sed sponte, quin vim patiantur, etenim docet s. Thomas (1) cum s. Augustino, nos erga ultimum finem habere quidem libertatem voluntatis, quæ non repugnat cum necessitate naturalis inclinationis: sed non habere libertatem arbitrii, sive contradictionis, quæ importat velle, et nolle, ut mox explicabitur. Libertas a *necessitate*, seu indifferentiæ, importat non solum immunitatem a vi, sed etiam a *necessitate*; ita ut homo possit non ponere actum, qui dicitur *contradictio-*

nis, aut ponere actum contrarium, quæ dicitur libertas *contrarietatis*, ut paulo post subjungetur.

9. Secundo sciendum est ab esse libertatem *contradictionis*, quæ dicitur *exercitii*, nempe posse operari, et non operari: aliam esse libertatem *contrarietatis* etiam *specificati-* nis dictam, nimirum duos contrarios actus ponendi, ut amandi, aut odio habendi.

10. His positis, dicimus, ut hominis voluntas possit cum bono, aut malo merito operari, debet esse libera libertate *indifferentiæ*, quæ sola verum libertatis nomen meretur, nempe non solum ut a vi, sed etiam a necessitate sit immunis. Hoc probatur ex Tridentino *sess. 6. can. 4.* ubi dicitur liberum esse homini gratiæ assentiri, aut dissentiri. Item probatur ex propositionibus Baii, et Jansenii proscriptis: Baius prop. 39, ex damnatis a S. Pio V. et aliis Pontificibus, dixit: *Quod voluntarie fit, etiamsi necessitate fiat, libere tamen fit.* Prop. 66. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Et prop. 67. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessario facit.* Et cum dixit Baius *damnabiliter*, loqui intendebat de actibus deliberatis, etiamsi necessariis, dum ipse jam admittebat (uti legitur in prop. 75.) actus indeliberatos, nempe sine voluntatis consensu, non reputatos peccata. Jansenius in prop. 3. ex 5. damnatis ab Innoc. XI. dixit: *Ad merendum, et demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit, immunitas a coactione.*

11. Notandum hic quod radix libertatis *indifferentiæ* oritur ab *indifferentia* iudicii, quæ nihil aliud est quam deliberatio boni, aut mali quod in actione consideratur. Hæc iudicii indifferentia non jam constituit libertatem, sed ut dictum est, est radix libertatis, ut postea possit libere et indifferenter voluntas elici.

(1) Quæst. de verb. n. 4.

gere quod sibi placuerit.

12. Obstacles autem quæ impediunt actum humanum, seu quominus actus sit voluntarius, sunt ignorantia, vis, concupiscentia, et timor, quo alioquin non aufert, sed minuit voluntarium. De singulis sigillatim agemus.

13. I. Circa ignorantiam pluræ sunt distinguenda: 1. Ignorantia alia est *negativa*, quæ est carentia scientiæ in subjecto non apto; alia est *privativa*, quæ est privatio scientiæ in subjecto apto; alia est *positiva*, quæ est deceptio seu error voluntarius. 2. Ignorantia alia est *juris*, seu præcepti; alia est *facti*, seu rei præceptæ. 3. Ignorantia alia est *anteecedens*, seu *invincibilis*, quæ præcedit omnem rationis advertentiam; alia *consequens*, seu *vincibilis*, quæ saltem virtualiter aut in confuso est cognita; alia est *concomitans*, quæ concomitatur actum, sed non est illius causa, nec in illum influit; actus enim etiam poneretur eodem modo, etiamsi non adesset ignorantia: huiusmodi est ignorantia illius qui occidit inimicum, putans esse feram, sed ita est dispositus, ut si cognovisset esse inimicum etiam occidisset. 4. Ignorantia consequens, seu vincibilis dividitur in *crassam* seu *supinam*, et *affectatam*. *Crassa* est quando homo negligit scire quod potest, et tenetur scire: *affectata* est quando negligit veritatem inquirere, ut liberius peccet. Hinc concluditur, quod ignorantia *anteecedens*, quæ dicitur *invincibilis* impedit et penitus aufert voluntarium. *Consequens* (quæ dicitur *vincibilis*), non aufert, sed minuit voluntarium. *Concomitans* nec aufert, nec minuit voluntarium, nam ut superius dictum est, nihil influit in voluntarium.

14. II. *Vis* quoque penitus impedit actum humanum, unde quæ fiunt vi, nihil nec boni, nec mali merentur. Violentum tamen differt a necessario, quia hoc potest esse voluntarium, ut est amor beatificus, et dif-

fert etiam ab involuntario, quod potest causari ab ignorantia.

15. III. *Concupiscentia* (quæ est motus appetitus sensitivi) quando est antecedens impedit actum humanum, seu voluntarium in partem, et quandoque in totum, si omnino rationem præveniat; unde fit quod motus sensuales, si omnis absit voluntatis consensus, ad peccata nobis non imputantur nec mortalia, nec venialia (1). Cum vero concupiscentia est consequens, et est illa quæ excitatur aut imperatur a voluntate, tunc nihil impedit actum humanum, imo auget voluntarium et culpam.

16. IV. *Timor*, vel est levis, vel gravis, qui etiam dicitur *cadens in virum constantem*. Ut sit gravis requiritur, ut malum comminatum sit 1. probabiliter imminens; 2. ut non possit vitari; 3. ut sit magni momenti saltem respective ad personas, uti ad foeminas, filios familias, pupillos, subditos etc. in quibus datur etiam timor *reverentialis*; sed hic advertendum, timorem reverentialem tunc esse gravem, cum præter pudorem, quo afficitur filius, pupillus, subditus in patri, aut tutori, aut domino adversando, timet amplius aliquam diuturnam indignationem, aut vexationem (2).

17. Oportet 2. distinguere metum ab *intrinseco* qui provenit ab ipsis facti circumstantiis: puta timor mortis quo mercator in procella projicit merces in mare, et timor ab *extrinseco* qui provenit a causa libera extrinseca, nempe ab homine. Et timor ab extrinseco potest esse *justus*, et *injustus*: quod dignoscitur a considerando an timorem incutiens habeat nec ne jus ad illum incutiendum. Item hic timor potest esse incussus ad extorquendum certum aliquem actum, aut alio fine, præter actum timoris causa positum.

(1) Vide lib. 5. De actibus humanis. n. 23. ad 25.

(2) Lib. 3. n. 717. v. Idem autem.

18. Hoc posito; timor dicitur non impedire actum humanum, illum nempe absolute voluntarium, sed solum *secundum quid*, quod idem valet, quod minuit voluntarium. Quando autem metus excuset, vel non, a lege, jam dictum est *Tract. II. n. 44*. Et quando metus invalidet vel non actum, id, dum loquimur de voto, de contractibus et de matrimonio, egetur.

19. Queritur 1. Unde actus humanus desumant suam bonitatem et malitiam? Respondemus (quicquid dicant alii) quoad materiale desumunt ab objectis, et ab eorum circumstantiis. Quoad formale, sive quoad moralem bonitatem, aut malitiam a virtutibus, quibus conformantur, aut adversantur. Et hactenus de eo, quod spectat ad speculativam questionem, nam quod ad praxim spectat, agemus in sequenti capite, *punct. III. n. 55*. agendo de distinctione specifica peccatorum.

20. Queritur 2. An actus exterius addat distinctam bonitatem, aut malitiam actui interno quoad præmium aut penam essentialem, (nam quoad accidentalem certum est apud omnes). In hac questione Thomistæ cum communi tenent negativam sententiam, Scotistæ affirmant. Sed quicquid sit de speculativa questione, in praxi etiam Thomistæ (ut declarat Estius) dicunt, quod cum voluntas operis mali executione vehementius adhæret objecto concupito, aut magis oblectatur illo, tunc sine dubio opus externum addit aliquam malitiam voluntati. Et regulariter sic accidit: ideoque bene ait Habert, quod ille, qui externe operatur peccatum, semper dicendus est majus malum committere, quam qui tantum illud concupiscit (1).

21. Queritur 3. An detur actus humanus indifferens in individuo? Concordes sunt Thomistæ Scotistis dari actum indifferens in specie, sive ex *objecto*, ut est deambulare, (1) Lib. 5. De actibus humanis. n. 40.

campum respicere etc. Quæstio est an detur in individuo? Scotistæ affirmant: sed probabilius negant Thomistæ, quia cum homo sit rationalis, tenetur quicquid operatur ordinare alicui fini honesto; quod omitendo, culpæ ei verti hoc debet, et actus non est amplius indifferens, nisi forte posset esse, quod ex ignorantia aliquando sine advertentia operetur. Hæc satis de his tribus celeberrimis quæstionibus, quæ magis pertinent ad scholasticam, quam ad moralem. Progrediamur ad loquendum de peccatis, quæ sunt actus humani in specie.

CAPUT II.

DE PECCATIS.

PUNCTUM I. De peccatis in genere.

22. et 23. De peccato mortali, et veniali.

24. ad 39. De advertentia.

40. ad 45. De consensu.

46. De peccato philosophico.

22. Peccatum definitur a s. Augustino, et a s. Thoma (2) *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam*. Dicitur *contra legem æternam*; quia in hoc consistit totalis formalis malitia peccati; ideoque hæc definitio comprehendit tum peccata commissionis, tum omissionis, etenim omnia divinam legem offendunt; et comprehendit etiam transgressiones legis humanæ; cui etiam ipsa lex divina jubet, ut obediatur, *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Rom. 13. 2.*

23. Quodlibet peccatum grave est Dei offensa non effective, quia ut loquitur Angelicus (3), Deus incapax est nocenti; sed affective, et est vera injuria, et contemptus in divinam Majestatem, quæ postponitur creaturæ. An autem peccatum veniale debeat etiam dici divinæ legis transgressio, affirmamus cum Estio, Soto, Azorio, et aliis, quia licet s. Thomas (4) dicat, quod veniale non est contra, sed præter legem nisi

(2) 1. 2. q. 71. a. 6. — (3) 1. 2. q. 73. a. 8. ad. 2. — (4) 1. 2. q. 88. a. 4. ad. 1.